...zgitowii Casimirus

...Alberti Justa feralia.

IVSTA FERALIA
SEV
ORATIO
In Funere
Nobilis ac Generosi Domini
D. CASIMIRI MARKIEWIC
WAZGIŁOWIC:
Eloquentiæ ac Iurisprudentiæ in Academia
Cracouiensi Studiosi
Vnici
Nobilis ac Generosi Domini
D. PETRI MARKIEWIC
WAZGIŁOWIC DE BVKSZEWICE
S. R. M. Curruum Præfecti
FILII
Ab
ALBERTO KVPCZEWIC, *Eloq. ac Philosophiæ In eadem Vniuersitate Studioso.*
Extremi affectus declarandi gratia
EXHIBITA. 6.

CRACOVIÆ, *In Officina Christophori Schedelij,*
S. R. M. Typographi. Anno D. 1646.

Alta decora Parentum.



M*Irum? quis celeres. ſubuertit turbo ſagittas?*
Poſterior terras ſed petit aſtra prior.
Parca ferox? quid? ſed fuſum tum ſtamina tractat?
Crediderim Lethes. plena liquore furit:
Quidquid id eſt; furor iſte bonus. Nam frigida membra
Dat terris. Sed mens. ſidera clara ſubit.

IN STEMMA MATERNVM.

Cis Pontum quondam Phryxum Phryxiq; ſororem
Agnus: at in cœlum Te CASIMIRE tulit.

THOMAS ORLANDI, Stud. Rhet.

FEr[illegible]luctuosus præsentis scenæ apparatus, quem nouus actor Casimirus Markieuicius, longè illis quos paucos ante dies vidimus disimilem instaurat: quàm altò Carissimi Parentis Fidelissimorum Præceptorum, & Nobilissimæ Iuuētutis Academicæ, nequaquam tanti præsaga mali, lancinauit pectora dolore; mæstissimus iste ad persoluenda Iusta satis abundè testatur concursus. Etenim licet nō ætates aut anni, sed dies & horæ, quam nihil simus demonstrent: recens tamen argumentum fragilitatis oblitos admonet; & æterna meditātes respicere cogit ad mortem. Sane est quod decrepiti senes minores natu seipsos esse fingant, & mendacio sibi blandiantur? vbi tanto à senectâ remotior, quanto adolescentiæ propior, acutâ mortis falce, in ipso melioris vitæ ingressu, sublatus est MARKIEVICIVS. Est quod nondum comâ positâ, Nestoris aut Pilij voluant mente annos ephebi: vbi florentibus annis, viuido corpore, vegetis viribus, à liminè vitæ ad

mortem retractum, in prædam & ſpolium implacabili fato ceſsiſse vident Iuuenem. Eſt quod inconſulti Parentes, inf[illegible]ũ ſuorum togam, militiam, & auitæ hæreditatis ſ[illegible]ones animo agitent; vbi Vnicum ſolatium Pare[illegible]ſpes Familiæ, Iuuentutis floſculus, exemplo ſuo eos aliò euocat; ac vt diuerſorium tantum commorandi naturam vnicuique conceſsiſse, in hac vitâ ſciant, clamat. Quanquam, neſcio quî fiat? quod cum tot quotidie, præter oculos omnium tranſeant notorum ignotorumque funera; tot præter domos ducantur exequiæ: tanquã ſemper victuri viuant; & obliti quantum temporis tranſierit, velut ex pleno & abundanti hauriant. cum ille ipſe qui alicui homini vel rei donatur dies vltimus poſsit eſſe. Sciebat hoc optimè magnæ ſpei & eximiæ indolis MARKIEVICIVS, ideoque toto hoc tempore, quod licet alicui exiguum videatur, re verâ tamen altioribus intento magnum eſt, quo vixit; nihil cogitare, dicere, aut agere ſolebat niſi quod cùm ad vitam rectè traducendam, tùm ad mortem promptè expectandam ordinaretur: vt nequaquam immaturè præreptus qui maturè ſe ad mortem præparabat dici debeat. Sed quia nemo tam compoſito aut ſeuero eſt mentis habitu, qui in hoc repentino doloris ictu; Stoicam illam diſciplinam ex formu

la tu-

la tueatur: quæram dolori remedium,&illius causas licet in talibus minimè exercitatus ex animo cùm aliorum tùm potissimum Tuo Mœstissime Parens euellere conabor. Quantum bonum sit & quam vnicuique expetendum, in tantis humanæ conditionis incommodis, sine vllo discrimine ac periculo vitæ, exoptatum portum attingere; ac quò plerique per tot labores, per tot discrimina perueniunt, priusquam aliquid aduersi experiaris peruenire: is nescit qui vitam humanam omnium calamitatum ac angustiarum scopum quendam esse negat. Omnes omnium cōditionum homines percurramus, etiam quos felicissimos, deprauatum rudis populi iudicium putat, sub censuram & calculum reuocemus: nulli omnia ex voto fluere, sed multa aduersa euenire deprehendemus. Affluit aliquis multo sudore & labore comparatis diuitijs, ebore sustinetur, auro tegitur, terras transfert, maria concludit, præcipitat flumina, suspendit nemora, eo denique delitiarum processit, vt non habere illi sed calcare liceat diuitias: at inter hæc liberis destitutus, infelicitatē suam cum gemitu deplorat. Gaudet numerosâ sobole & felicissimis natorum successibus lætatur: at alium in medio ferè iuuenilis ætatis cursu Parca ferox sustulit, alium virili proximum, alium iam iam paterna sati-

na ſatiantem vota. Viuunt felices nati, eſt ſpes certa conſeruandæ familiæ, adeundæ hæreditatis; at virgæ, ſecures, faſces, deſunt. His circumſcriptum omnibus, fragile & mortale corpuſculum, cui non ex iniuria tantum aut potentioris viribus denunciatur dolor, ſed ipſæ voluptates in dolorem vertuntur excruciat. Eſt quem delicatus Liberi currus tryumphantē orbi circūtulit, ſed vnius contumeliæ ictus non æquo animo ſuſceptus mirum inmodum afflixit. Eſt cui omnia quieta, pacata, ac tranquilla publica euenerunt; ſed maximas moleſtias priuata intulerunt. Hinc eſt quod potentiſsimis & in altum ſublatis excidere voces videmus, quibus conditionis ſuæ ſtatū tanquam miſerum & infelicem deteſtentur. Hinc quod velint ex illo ſuo faſtigio ſi tutò liceat deſcendere. Hinc quod priuatorum anguſtas gaſas, auguſtis præferunt palatijs. Romanorum illud delicium verè Auguſtus Cæſar Auguſtꝰ, cū quātū bona ſua per omnes terras fulgentia ſudoris exprimerent, quantum occultarum ſolicitudinum tegerent, primo cum ciuibus, deinde cum Collegis, nouiſsimè cum affinibus armis decernendo, ac iam campos, terras, flumina, maria, ſanguine humano intingendo; iam Siciliam, Macedoniam, Syriam, Ægyptum, Aſiam, & omnes propè oras armis exagitando, iam Alpes

pacan-

pacando, atque vltrà Rhenum Danubium Euphratem terminos promouendo perspexisset: quam ardentibus votis vacationem à Rep. expetebat! quoties sermo eius ad hoc reuolutus est, vt sibi otium sperare? quoties labores suos hoc falsò licet, dulci tamē oblectabat solatio. Quid lex & lux ingeniorum Tullius? inter Catilinas, Clodios, Crassos, Pompeios, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos iactatus, dum fluctuatur cum Rep. & illam pessum euntem tenet, nouissimè abductus, nec secundis rebus quietus, nec aduersarum patiens: quoties illum ipsum consulatum non sine causa, sed sine fine laudatum detestatur? quam flebiles voces in quadam ad Atticum exprimit epistolâ, iam victo Patre Pompeio, adhuc Filio in Hispania fracta arma refouente. Quid acer ille & vehemens vir Liuius Drusus, cum leges nouas & Gracchana mala mouisset, ingenti totius Italiæ stipatus cætu, rerum euentum non prouidens, quas nec agere licebat, nec iam inchoatas relinquere: an non vitæ conditionem execratus, vni sibi ne puero ferias contigisse proclamauit. Quid (vt antiquiora omittam) Carolus Quintus Romanorum Imperator Inuictissimus? an non cum plurimas res terra marique gessisset, cum Mediolanum à Gallis capto eorum Rege Francisco recuperasset, regnū

Neapo-

Neapolitanum ab ijsdem ingenti exercitu ac bellicis apparatibus instructissimo repetitum conseruasset; memorabile de superatis in Africa Mauris & Numidis trophæum erexisset, deniq́ue Germaniam omnem inter Danubium & Albim, Rhenumq́ue quod nec Romanis olim Ducibus contigisse constat, incredibili felicitate domuisset: an nō maxima hæc bona quàm solicita essent apertè declarauit, cū scriptis ex Hispania ad septem viros Electores literis, legatisq́ue Gulielmo Principe Aurantio, Sigismundo Seldio & Lupo Halleno Francofurdiam missis imperij fasces, quos per 30 annos tenuisset Ferdinando fratri resignauit. Prô Superum hominumq́ue fidē. Itane qui summum felicitatis culmen conscendere videntur, in illâ ipsâ quam vulgus miratur & expetit sortè, aliquid quod in odium, non tantum facultates, diuitias, honores, sed & ipsam vitam adducat inueniunt? Ita nihil erit in rebus humanis, quò aspirare, tāquam ad terminum laborum & molestiarum liceat? Ita Auditores. Omnia ista bona quæ nos speciosa quidem, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaq́ue plurima ad quæ mortalium cæca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum inuidia conspiciuntur, cum periculo retinentur, cum dolore amittuntur. In hoc profundum in-

quie-

quietumque proiecti mare, alternis æstibus reciprocum; & modo alleuans nos subitis incrementis, modo alienis damnis deserens, assiduèque iactans, nūquam stabili consistimus loco, pendemus, fluctuamur, alter in alterū illidimur: &aliquando naufragiū facimus, semper timemus. Felices illi qui priusquam inconstantiam & vicissitudines rerum humanarum senserunt, collectis sarcinulis, aliò se transferunt; ac Securi ex alto reciprocos æstus rerum humanarum vident. Talem Te ô innocens anima CASIMIRE MARKIEWICZ, si dixero non errabo. Sane tempori9 paulò, quam alij huius vitæ supplicia cognouisti; citiùs, nihil esse, quod ex hoc carcere putido exire cupientē, ac ad illa cælestia & æterna euolare volentem animū, detinere posset, cognouisti. Non te Carissimi tui Parentis innatus amor flectere, non Familiæ conseruandæ desiderium retardare, non hæreditas satis ampla flectere poterat, quo minus in illa tua cum graui morbo lucta, ingeminando exclamares; Cupio dissolui Cupio dissolui. Sed quid mirum? vbi anteactæ vitæ tempus in summâ continentiâ, modestiâ, pietate, transegisses. An verò & tu Parens Mœstissimè, meliorem sortem precari potuisti Filio tuo? an pretiosiorem supellectilem relinquere, quam talem educationem, à quà adiutus in duellum à graui & diu-

 tur-

turno morbo, imo ab ipsâ morte prouocatus ſtetit infractus & conſtans, ſuppar periculoſo licet certamini. Sciebas vt ſublato fundamento ampliſsima leui vento corruere ædificia; ſic ſublatâ inſtitutione & educatione rectâ vitam. Ideoque ad hanc Academiam, in qua literarum cum pietate indiſsolubilis viget nexus; ad hæc togatæ Palladis caſtra, in quib9 quaſi ſigno dato virtutes cum vitijs, ſcientiæ cũ ignorantia colluctantur; ad hoc denique Sacrarium, in quo ad aram Apollinis comâ depoſitâ ſacris Muſarũ Polona initiatur Iuuentus ablegaſti Quid porrò ille? an (vt plerique ſolent inconſulti temporis diſpẽſatores) in ludis, iocis, comeſſationibus, florentem conſumebat ætatem? an Præceptoribus ſuis contumax & moroſus, æqualibus difficilis & moleſtus, omnibus odioſus apparuit? an cum in tanta frequẽtia plerumque ſcabioſa ouis reperiatur, aliquẽ morbum animi contraxit? Vos hic appello Fideliſsimi ac laborioſiſsimi Profeſſores, vos Cõdiſcipuli eius Cariſsimi. Cui veſtrum vnquam moleſtus erat? cui bilem & ſtomachum mouit? quem dicto, aut facto, exacerbauit. Certandum erat ingenio cum æqualib9 de laude, quæ generoſas mentes noctes dieſque ſtimulat, quis illo feruentior? oſtentanda memoriæ ſuæ, & intelligentiæ admirabilis illa vis; quis illo prompti-

promptior? auocandi à nucibus & ludis ad seria æqualium animi; quis illo felicior? Pendebat ex ore docentium auscultator fidelissimus: obseruabat Professorum dicta discipulus diligentissimus: parebat mandatis maiorum cliens obseruantissimus. Et verò contigerat illi Autoris naturæ beneficio facilis ac expedita intelligendi celeritas, & quod raro euenit parem sortita iudicandi formam. Contigerat memoris animi sensus, immensi propemodum thesauri quæstor indeses, in rerum imaginibus accipiendis auidus & rapax, in conseruandis auarus ac tenax, in dispensandis prodigus ac profusus. Contigerat vastus pectoris sinus, ac præter ætatis angustias inexhausta capacitas, omnium fermè tam patiens quam auida facultatum. Atque inde eueniebat, vt ingenij Maiestas ingenua, vel in ipsa facie tanquam prænũcia mentis cerneretur. Neque enim in animo solum velut in Regiâ latet, ac serijs quodammodo negotijs incubat; sed foris habitat in fronte, ac velut suburbano prædiolo rusticatur ingenium. Inde vt Præceptorum amorem, æqualium honorem, cunctorum gratiam mereretur. Inde vt selectissimi ex Iuuentute Academica eundem ad conuersationem admitterent, ac illius exemplo ad studia incitarétur Iam intra lares & penates domesticos (adhæsit enim viro

& ſcientijs apprimè inſtructo, & morum ac vitæ integritate nemini ſecundo IACOBO SVSKI Collegæ Minori) quanta modeſtia? quanta diligentia? Diuidebat ad formulam horas viciſsitudine quadam lectionis atque ſcriptionis, & quaſi diurno labore cupiditas diſcendi expleri non poſſet, noctes violatis ſomni inducijs adſumebat. Ardor ille bonæ mentis, vltra cõcubiũ lucubrationes producebat, ante diluculum reſumebat. Omne perire tempus quod ſtudijs non impenderetur dictitans. Et iam dignus non proprio arbitrio, ſed eorum ad quos cenſura ingeniorũ propriè pertinet M. D. IACOBI VITELLII S. Th. D. ac Profeſſoris Academiæ noſtræ, pro tunc Rectoris Vigilantiſsimi, & A. R. D. ADAMI HYACINTHI DRASKI S. Th. Profeſſoris longè digniſsimi, maturo iudicio, publicis lectionibus denunciatus erat: cum ampliorem excolendi ingenij nactus campum, nequaquam ad illam paulo liberiorem licentiam deflexit; ſed benè preſſam ad ſapientiam conquirendam ſedatorum viam, tenuit glorioſè. Taceo pleraque alia, quæ in recenti omnium verſantur memoria eius diligentiæ documenta. illud vnum cuius pars magna fui prætertire nec poſſum nec debeo. Succeſſerant poſt ſemeſtrem ingenij culturam Auguſti Feriæ Iuuentus partim ad inuiſendos lares domeſticos, partim ad reſumen-

mendas remiſsione vires ſeſe contulerat. Perſonabant tamen Lectoria vocibus diſputátium:tangebat ſonoram Helim cum ſuis Muſis Apollo Philoſophicis: diſcutiebantur difficiles admodum & nodoſæ ex Naturali Morali Rationali PhiloſophiaQuæſtiones. Ille ne torperet otio,ne vigilante Duce miles in vtráque dormiret aurem,publicè in frequentiſsimo eruditiſsimorum Virorum conſeſſu,quæſtionem moralem de diuitiarum ad vitam feliciter traducendam neceſsitate,cum ſummo apparatu dictionis,cum maximâ dignitatè vocis, cum admirabili ſermonis grauitate, vultus Maieſtate, oris totiusq́ue corporis compoſitione,diſcuſsit,determinauit: adeò, vt ætatē exceſſiſſe videretur. Non miror nuncRomanæ Suadæ Medullam olim protuliſſe, ab excellenti & eximiâ virtute progreſſum ætatis non eſſe expectādum, Non miror iniquos illos & ignaros humanæ conditionis cenſeri, qui annariarum legum tenaces, virtutem omnem temporis limitibus circumſcribunt. Quemadmodum enim fruticem aliquando fructu lætum, & floridum, arborem contra proceram vetulamq́ue iufelicem: ſic in puero aliquando virum & in viro puerum videre eſt. Credo errare illos, qui virtutis quam ætatis curſum tardiorem exiſtimant; errare qui annos expectāt:cum vernanti etiam fron-

ti seueritatem animus compositus imperet, & natura iudicium priusquam corpus firmet. Vidit hoc antiquior ætas in Africano, vidit in Rullo, vidit in Decio, Flaminio, Coruino & multis alijs: qui in ætate nondum benè maturâ, omnium oculos in suarum virtutum contemplatione defixos tenebant. Vidimus & nos in nostro MARKIEVICIO, idq́ue eò libentius, quo non tantum artibus ac scientijs, sed virtuti quoq; ac pietati deditum mirabamur. Grauia certè semper inferebant mortalibus damna, literæ sine virtute, grauia eruditio sine pietate. Etenim quod fragile hoc & mortale corpusculum, sine præsidio animæ: quod inferior mundi pars, sine lucis Parente Phœbo: hoc literæ valent sine pietate. Caret omni decore corpus exanime, sed & doctrina turpis sine virtute. Turbantur omnia inferiora, absente Sole. turbantur & omnes mentis conceptus virtute destituti. Atq́ue hic ego quo apparatu verborum ad MARKIEVICII nostri pietatem explicandam vtar non inuenio. Quoties quoties ego ipse vidi eum, cum summâ mentis in Deum eleuatione, in Oratorio Pietatis Academicæ, flexis genibus, dêmisso in terram vultu, composito ad modestiam corpore, pias ad cælum fundentē preces? quoties si quæ erant delicta, (vt nemo nostrum sine vitio est) cum amara contritione ante Cō

fessa-

fessarium deflentem: quoties SS. Eucharistiam cum maxima cordis humilitate suscipientē Illa Illa vero erga Dei Parentem Virginem integerrimam pietas, cuius vim ac copiam dicendi non exhauriet Singulis diebus aliquod pietatis opus in honorem Sanctissimæ Virginis facere; manè & vesperi se & sua eidē deuouere, Officium Romanum in perpetuæ mancipationis signum deuotè recitare, in Festiuitatibus illius sacra Synaxi refici: illā Matrem, illam Patronam, illam Dominam & Aduocatam crebris vicibus ingeminare, an non feruenris pietatis singulare documētum Et decebat sanè, vt non alteri cuipiam negotio deditus præmium accepturus vocaretur: quam cultui Virginis SS. Mirum est quod dicam; ita tamen esse sciunt qui curam eis gerebant: eum cum de Gloriosissimâ in cælum Virginis Deiparæ Assumptione Orationem scriberet in morbum incidisse; post nomen Seruatoris nostri & Virginis SS ingeminando Sacramentis omnibus ritè susceptis, in manibus sui & Præceptoris & Medici Clarissimi PAVLI MANKIEWICZ expirasse O felicem animam quæ ita se ad nuptias illas cælestes præparauit Felicem militem quē excubantem ferè; & honorem Virginis SS. propagantem Imperator ille cælestis offendit Discite hinc Iuuenes Magnanimi à teneris ad cultum Dei-

paræ

paræ aſſueſcere Diſcite abiectis tēporalibus & tran ſitorijs,æterna nec peritura cogitare. Diſcite Maiorum veſtrorum voluntati in omnibus parere. Diſcite in omni loco omnique tempore, parato animo mortem expectare. En prototypus in oculis omnium verſatur. Hîc quem paucos ante dies, benè ſanum ac florentem vidiſtis: iacet nunc omni decore ſpoliatus; quem fronte læta, candidis genis, labijs rubicundis, ore hilari, collo tereti, gracili corpore mirabamini: nunc pallidum,eneruatum, deficiente ſanguine,flaueſcentibus brachijs, carie oſſa arrodente, longè priori diſsimilem conſpicitis: quem dulci Suada, omnium animos detinentem audiebatis, nunc elinguem ac mutum,longe tamen efficacius, perorrantem obſtupeſcitis. Hæc quam in illo cernitis,noſtra eſt imago Omnes huic rei tollimur, quiſquis ad vitam editur, ad mortem deſtinatur. Tu vero Parens mœſtiſsime vnico orbatus filio, an non ingemiſces? an non in amaras reſolutus lachrymas,tam immaturum Casimiri Tui obitum deplorabis? Credo. Sed quid? an cum videres maturam in Iuuene prudentiam, victorem voluptatum animum, virilem morum grauitatem, diu Tibi putabas ſoſpitem illum contingere. Quidquid ad ſummum peruenit, incremento non relinquit locum; Vbi incrementum non

datur

datur, vicinus occasus est. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus, nec vltimum tempus expectãt, quæ in primo maturuerunt. An vero aliquis cito moritur, qui victurus diutius, quam vixit non fuit? Fixus est cuique terminus, manebit semper vbi positus est, nec illum vlterius diligentia aut gratia promouebit. Non est itaque quod sic te oneres: potuit diutius viuere; potuit ad maturiorem ætatē peruenire. Non est interrupta eius vita, nec vnquam se annis casus interiecit; soluitur quod cuique promissum est. Eunt vi sua fata, nec adijciunt quidquam, nec ex promisso simul demunt. Si virtutibus illum non annis æstimabis, satis superque vixisse dices. En ille, iam Tibi, quod ei vitam dederis, quod honeste educaueris, quod artibus excolendum volueris, quod præceptis, & admonitionibus salutaribus in lubricâ, & ad vtrumlibet pronâ ætate informaueris, gratias agit. Verba expirantis sunt. Nihil cuiquam debeo nisi Parenti meo Carissimo Vitam, educationem, sumptus ac impensas, proinde pro his omnibus maximas agens gratias, vltimum Vale absenti dico. Gratias & vobis habet Præceptores Fidelissimi, quod tam graues molestias, solicitas curas, indefessos labores, in excolendo eius ingenio suscepistis. Præceptoribus inquit meis, cum æquiualens reddere non

posſim, darem cum Socratico Æſchine meipſum, ſed cum ne hoc quidem poſſum, extremam gratitudinis vocem Viuite FELICES, libens volenſque conſecro. Gratias deniq́ue Vobis Iuuenes Magnanimi quod propenſo amore, & ſingulari affectu vſque ad extremum tempus, proſequi eum non dubitaueritis. Iuuentuti inquit Academicæ, cum gratijs, pro exemplo meipſum relinquo. Ergo abijt CASIMIRVS noſter, Iuuenes Magnanimi, abijt. & cum ipſe ad longe feliciorem ſtatum, tranſierit; Nos, vt parati vltimâ ſemper horâ præſtolemur admonuit. Siquidē, NE CRASTINO DOMINAMVR.